

THESES MEDICÆ
DE
SANGVINE, EJUS-
QVE OBSERVATIONE.

Quæs
CONTRA VULGAREM
DE QUIBUSDAM OPINIONEM

D. O. M. A.
SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILIS AMPLISSIMI ET,
EXCELLENTISSIMI
DN. MAURITII HOFF-
MANNI MED. D. ANAT.
CHIRURG. ET BOTAN. P.P.

PRACTICI FELICISSIMI.

DN. PRÆCEPTORIS, HOSPITIS AC PATRONI SUI

FILIALI AMORE ET OBSERVANTIA COLENDI
PUBLICÉ DEFENDERE CONABITUR

Gottlieb Freytag

RATISBON.

AD D. IV. FEBRUAR.

ANNO CHRISTI

el 10 Ioc LX.

ALTDORPHI

E TYPOGRAPHEO ACADEMICO HAGENIANO.

Physiol.
59,70.

Physiol. VI. 3.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



S Y N ΤΩ ΘΕΩ!

D E

SANGVINE EIUSq; OBSERVATIONE.

THEISIS I.



Um ea corporis nostri substantia, quæ à primis Medicinæ incunabulis, uti *Hippocratis* ævo cæperat porrò vel sacrarum litterarum auctoritate, *Levitic.* 17. vel suas Principis Philosophi *Aristotelis* 3. de *histor. animal.* 19. & 3. de *partibus animalium* cap. 4. & 5. &c. salutis humanæ auctores semper occupatissimos habere debuisset, ceū vitæ valedicidinisp; fundamentū, animęq; instrumētū, ad nostrā usq; ætatē ex illis plurimis, quę debitā factā attentione dudū potuisset clariuscognosci, ob varias fortè quęis obnoxia est vici cissitudines, etiā apud Institutionistas ferè neglectissima fuerit, ut profusio ejus & mutatio hodieq; cum longevitatis səpē detrimento licet conjuncta, levissima credatur à tonsoribus pariter & medicastris hujus respectu animam negotiantibus, majoremq; temeritatis plerorumq; Calendariographorū Artis Medicæ imperitorū, quam decreti *Hipp. 6. aphorism. 47. & 7. aphor. 55.* aut cōstitutionis corporū rationē habentibus; & verò in ejus notitiā actionum medicarum sive curationum Methodicarum, sanitatem & confirmandam & reparandam respicientium cardo vertatur, haud inanem operam nos susceperimus, si ejus naturam paulò accuratiū ex aliorum, nostrisq; observationibus investigaverimus.

A

II. Est

II.

Est illa SANGUIS quasi sana vel sancta vis, quâ $\zeta\sigma\nu\gamma\sigma\eta\alpha$
id est vivere membra & valere queunt; Græcis $\alpha\mu\alpha$, vulgo
das Bluth quasi blühet / item die rothe farb / venatoribus
& lanionibus der schweiß &c. Cui meritissimo suo non tam
inter $\zeta\epsilon\pi\chi\omega\mu\alpha$, *id est*, contenta & fluida, Hipp. 6. Epidem.
sect. 8. tx. 19. Andreæ Laurentio l. i. Histor. Anatom. c. 18. nu-
trientia dicta, quâm $\tau\alpha\delta\mu\omega\tau\alpha$, *id est*, turgentia sive impetu
facientia, & si cum Chymicis loqui malimus, volatilia seu
spirituosa, Laurentio Impellentia, quæ neutiquam morbo-
rum subiecta fiunt, ut $\tau\alpha\iota\chi\omega\tau\alpha$ nutrienda aut solida, sed in
ipsorum causas tantum degenerant, locus assignandus,

III.

Et talis corporis nostri massa, quæ non quidem ex pituita-
ritæ, bilis, & melancholiæ confluxu composita, uti Turisanus
olim docuit, licet flamma vitali orbata novis rebus studen-
do in ejusmodi portiones haud raro degeneret juxta Gal. 2.
de diff febb. c. 9. sed ex fœcundis generationis principiis, an-
tequam viscerum rudimenta ponantur, in conceptu orta,
sub specie puncti salientis (ab Aristotele l. c. pro visceribus
habiti) notante Guilhelm. Harvejo passim lib. de generatione,
Joan. Vesling. in prælect. de form. fetu, & nobiscum aliis, se se
offerens ad sui conservationem, integritatemq; omnium
partium comparata, vitalium alimentorum, ex conceptus
colliquamento, chylo, & lacte materno, demum pulmen-
tis, aliisq; successione subinde augescit.

IV.

Non tantum enim aptitudinem iliam habet, quâ jussu
animæ per prævias quasdam mutationes, chyliq; consocia-
ani-

58.

tiones in singulas individui tamdiu quasi per aggeneratio-
nem , quo usq; calor moderatior per humidi absumentionem
extensionem earum non impedit , crescentis partes abire ,
sed etiam ad productionem alius individui tandem suffice-
re possit. Unde a primævis parentibus in nobis superstes
est ex Actor . 17. potentiamq; redeundi ad vitam & sanita-
tem continuat.

V.

Idq; omne a summâ aetivitate flamæ vitalis , in ipsâ fer-
vente sese multiplicantis , perq; calorē se manifestantis pro-
ficiuntur , ut de cantatissimi CALIDI NATIVI , sive INNATI no-
men & partes sibi vendicare debeat , cùm sui præsentia tem-
peramentum corporis actuale reverâ constituat , perpetuò po-
tius influens , quām insitum habendum .

V I.

Ejus enim solius beneficio vivimus , seu nutrimur ,
partiumq; organica essentia absolvitur , ut natura corporis
non solum in statu naturali operationibus suis rectè præes-
se , quid salutare in nobis & in generatione utile curare ; ve-
rū etiam in præternaturali morborum causas vellemen-
tores oppugnare & expugnare valeat , feliciori quamvis
successu in uerā , quām aegrotiā ex longâ lentâq; con-
suetudine minimè familiarem , amantibus .

V II.

Perennat autem in corpore nostro per sobolis sibi si-
milis productionem , sive substantiæ suæ pro pabulo flamæ
absumentis & cum spirituum volatilium dispendio sese
diffundentis perpetuoq; avolantis , ex vietu convenienti
restorationem , per assimilationem scilicet chyli , actio-
nem similarem , usq; ad finem vitae , multò certius ex ejus-

A 2

dem

dem calore, quām motu cordis determinandæ, contra Aristot. l.c. Quod enim aliis vim vitalem tribuit, illâ præ reliquis abundabit, ceu in summo activitatis culmine consistens.

I I X.

Quemadmodum igitur ignis alium sibi similem subi-
tò producit, si materiam nactus sit idoneam, inq; perpetuo
fieri quasi habetur, ex 2. Meteorol. Aristot. c. 2. quem in na-
talibus suis mori Theophr. lib. de Igne. dixit; Ita etiam flam-
ma vitalis sanguinea, sanguisq; ipse in natis & nondum na-
tis Embryonibus continuatur, si vel proprium vel mutua-
titum alimentum inflammabiles portiones ipsi suffecerit,

I X.

Hujus gratiâ Natura prudentissima omnia in corpore
quoq; ita ordinavit, ut non minori curâ pro sanguinis flam-
mâ vitali accensi integritate conservandâ, quām partium
salute per sanguinis vitalis affusionem juvandâ laborâsse
videatur. Quamvis non tam Cor, aut corpus sanguini,
quām sanguis cordi vitam & virtutem tribuat; imparique
auxilio sibi invicem corpus & sanguis succurrant.

X.

Ille equidem partium omnium salutem juvat & sequi-
tur, pro latitudine sanitatis & vietus immensâ varius ex 2. de
part. animal. c. 3. animiq; mores & corporis vires ex Hipp. l.l.
de Morb. & l. de flat. à consueto naturæ statu recedens ita
mutat, ut in vicissitudinis affectuum utriusq; sive mutuorū
morborum Platonij dudum cognitorum veram causam sæ-
pè degeneret. Quibus enim optimè temperatus est, be-
nigno & blando spiritu perfusus, iij prudentiâ & morum
benignitate sunt commendabiles; Quorum verò sanguis
aliter se habet, eorum mens vacillat atq; ægrotat; Licet

ani-

anima ex sententia *HIPPOCRAT.* quoq; *LIB. I. DE DIETA*
semper similis sit & in majore & in minore neg, alteretur neg,
per naturam, neq; per necessitatem, corpus verò nunquam idem
sit in utlo neq; secundum naturam neq; ex necessitate.

X I.

Ut autem tam multis tamq; variis operationibus ubi-
vis sanguis etiam ex acu punctis vulnusculis promptè extil-
lans sufficere, omniaq; per omnia gubernare, cumq; anima
in corpore omnipræfens esse posset, Natura ad formatio-
nem & nutritionem singularum non tantùm statim inter-
initia, dum cuncta mollia essent, varios meatus, sanguini
ferè ætate pares, per materiam genitalem facilè sequaces
portiones paulatim condensando, eosq; quadruplices ceu
aquæductus aut canales dispensavit, per quos substantia
eius humida & fluxilis transmitteretur, sed & ejusmodi in
medio pectoris partem, summam sapientiam & potentiam
adhibendo, construxit, ex quo veluti Castello per illas
vias in universi corporis tractus irrevocabili sive circulari,
perpetuoq; motu commiceret.

X I I.

Hanc *COR* vocamus, primum propterea, sed in ordi-
ne partium, vivens & ultimum moriens cum Aristotele
habendum, etiamsi præter motum transvasationis ad san-
guinis suâ unitâ vi in confluxu hîc sibi sufficientis, potiusq;
respirationis usu attemperandi, quam ignitâ carne ac-
cendendi sive animandi perfectionem, eamq; comitantem
vitam, fortassis nihil conferat, nec absq; sanguineâ flam-
mâ quicquam in partes reliquas valeat, multò minus san-
guini recalefaciendo sufficiat, præ stupore ne quidem de-
fatigationem aut combustionem febrilem, multò minus

A 3

præ-

præsentiam vitiosorum humorum sentiente aut ægrè ferente.

X I I I.

Nolumus tamen hīc illud inconciliare & merita ejus seculorum applausu , fortassis autem sine merito , laudata , aliud nunc agentes extenuare , ne nuperrimè de Epate triumphantī infamemq; ad famam viam per ejusdem existimationis ruinam sectanti , malè ominari videamur , sed ex ejus structurā robustā indefessum ejus motum , distributioni sanguinis apprimè necessarium , aestimabimus .

X I V.

Ad sunt in eo binæ auriculæ , totidemq; septi densi interventu distincti ventriculi , quibus ceu quatuor diverticulis , quatuor patentia vasa , undecim valvulis introrsum partim , partim extrorsum hiantibus munita , respondent , ex quibus Vena auriculis , auricula ventriculis , ventriculi arteriis sanguinem quasi de manu in manum tradunt , ut ad partes reliquas ceudistantes animæ provincias promoveatur .

X V.

Dum enim auricula dextra suum sanguinis venæ cavæ demensum in ventriculum dextrum , & articula sinistra suam sanguinis venæ pulmonalis sive arteriæ venosæ portionem in ventriculum sinistrum , se se simul per fibrarum ex distensione abbreviationem coarctando , eructant , ambo ventriculi relaxati utrinq; sanguinem suscipiunt ; dum vero ventriculus dexter modò susceptum sanguinem per arteriam pulmonalem sive venam arteriosam olim dictam , in pulmones & ventriculus sinister in aortam sive arteriam magnam , laterum scilicet ad septum medium applicatione , mucronisq; cordis retractione , fibrarum turgescientiam ,

co-

comitance, expellunt, auriculæ relaxatæ novam portio-
nem ex venis simul admittunt: Ut illæ utrinq; paria face-
re, hi verò sanguinis transitum per medium septum plane
inutilem atq; impossibilem reddere videantur, *uti nuper,*
contra Galenum & Riolanum disputavimus.

X V I.

Propterea relaxatio *auricularum* cum coarctatione
ventriculorum & relaxatio *venericulorum* cum coarctatione
auricularum coincidunt, & usq; ad finem vitæ singulis mo-
mentis è frequentius alternatim repetuntur, quò conci-
tatori fluxu sanguis ex arteriis per poros partium in venas
penetrans ad Cor appropaverit, ut quibusvis horis 4000
aut plures pulsationes in carpo numerare liceat.

X V I I.

Huc igitur ad aram ignis nativi ab Authoribus con-
stitutam confluens, sed in confluxu potius, quem *sanguini*-
nis Oceanum dicere fas est, quàm cordis cavo effervescenti-
do, non tantùm inflammabiles portiones copiosiores flam-
mæ vitali multiplicandæ facile offert, sed & partium, ha-
bitudine atq; actione diversarum licet, omnium dispositi-
onem organicam per activitatis suæ, non cordis, continuam
appropriationem perpetuò non sine consumtionis ve-
hementiâ ita actuat, ut consensus & natura universi cor-
poris in sanguine habeatur.

X V I I I.

Qui vitæ thesaurus ut nematurè deficeret, cum flam-
mâ perpetuò avolando, sed animæ actionibus in corpore
aliquantiū, uti olim per aliquot secula simplici herbarum,
carnesq; ob partium similitudinem, speciemq; sanguinis
communem forte abhorrente vietu reparationis modum
non-

nondum labefactante, præcesset, curatissimâ quadam futuri sanguinis materiæ, nectar illud possidentis, ejusq; di-
spendia reparantis, præparatione & distributione opus
fuit. Tantæ molis erat vitalem condere succum.

X I X.

Præparatur ille ex succo alimentorum assumtorum,
mediante fermentatione, compagem ipsorum naturalem
solvente, in capacitate membranacei *ventriculi*, allabo-
ranteq; viscerum blando accubatu adjacentium, *Epatis* sci-
licet & *Lienis* calore in substantiam pulti aut cremori hor-
dei haud absimilem, quam *chylum* & actionem $\chi\upsilon\lambda\omega\sigma\nu$ vo-
cant, nunc breviore pro assumtorum varietate & fermenti
potentia, nunc longiori temporis spatio convertitur, an-
tequam tunicarum ipsius contractione; *Epatisq; incum-
bentis compressione per pylorum* in intestina projiciatur.

X X.

Hæc quod felicius succedant, non modo ex animato-
rum vegetabilium & animalium integro nutritionis officio
quidem gaudentium, ast profuso si multus fuerit, sanguine-
vitali pereuntium, minimeq; rapacium *Capnoθάγων* aut
venenatorū ordine alimenta petenda sunt, verum etiā ante
assumptionē vi ignis vulgaris, factā nativi caloris in fibris car-
neis superstitis post macerationē per elixationem aut assati-
onē quadā conflagratione, & dissipatione futuræ chyloseos
fermentatio, ciborumq; solidorum dissolutio juvanda, ne
vel ex flammæ vitalis, pabulum novum avidè carpentis,
veloci multiplicatione cum periculosâ massæ sanguineæ e-
bullitione, subita temperamenti mutatio oriatur, vel flam-
ma ipsa conditiones pabuli sequi, moresq; brutorum ani-
mus imitari cogatur, uti *Cynanthropia*, *Lycanthropia* &
Ga-

Galeanthropia testantur. Vid. Dan. Sennertus l. 1. Med. Pr. p. 2. c. 31. quest. 15, & l. 6. p. 8. c. 31. Itaruminandi desideriū in quodam Genuensi ab ineunte atate usq; ad annū quinquage- simum viguisse, eò quod infans matre mortuā ex ubere vaccā per biennium lac calidum haussisset, Joannes Prævotius, Prof. Pata- vinus annotavit.

X X I.

Hac fini in ventriculi cucurbitam oblongam æmulan-
tis fundo fermentum ex reliquiis antea assumtorum & salivâ
cerebri per Oesophagum subinde destillante semper præ-
sto est, ut acore suo famem quoq; frustra hactenus cum Gal.
venarum suctioni acceptam delatam, excitare & assumtorum
compagem naturalem promptius in limine quasi solvere
queat, pro promovendâ & perficiendâ chylosi, quam vi-
scera adjacentia, uti modo dictum, Epar & Lien calore suo
aucto strenue juvant.

X X I I.

Sed & eandem ob causam Naturæ securitatis studiosis-
simæ consultiùs visum fuit, si chylus assumtorum naturam
referens per minima vasa guttatum sive sparsim cum san-
guinis prioris abundantia misceretur. Ita enim faciliùs à
sanguine superatur, nec sanguinem, uti in convalescenti-
bus sæpè fit, ex pleniori victu, superare valet.

X X I I I.

Hinc elaboratæ chyli massæ ad intestina delatae cùm,
ob dissimilitudinem substantiæ tota in vasa penetrare, tan-
demq; sanguini assimilari nequeat, pars dilutior sive flos
ejus istorum tenuium motu ~~ωεισυληκω~~ sive circumpressorio
in Venas lacteas exprimitur; pars verò crassior ceu *caput mor- tuū Chymicorū*, ad *intestina crassa* suo tempore eliminanda
colligitur.

X X I V.

Quam certum autem est illam in Venas Lacteas expres-
sam

B

sam

sam portionem ad centrum Mesenterii & Pancreas Aselli cōfluere, tām incertum propter discrepantes Magnorum Authorum observationes suas laudantium opiniones hodiē redditum est, quorsum perga^t, ut quem ducem, in re post tot vivorum dissectiones nondum satis expeditā, sequaris, anceps hæreas.

X X V.

Casparus Asellus enim Anatomicus Ticinensis primus horū vasorum lacteorum, reliqua Mesenterii vasa ab isthoc permille quadringentos propè annos falsò ipsis à Medicis concessu officio planè excludentium, observator eam ad Epaticorum consensu sanguificans organum habitum derivat, ut impedito motu isthic transponendo, vi visceris in sanguinem mox cordi offerendum abeat, impuritatesq; suas segniores per vesiculam & canalem felleum Epaticum duodenō reddendas deponat. Cui assertioni & nos hactenus ad exemplum aliorum Clarissimorum Virorum, nulli quidē de sensuum nostrorum aliorumq; vasa quædam candida, juxta truncum Venæ Portæ sub Epate deprehendentium & à Nathan Highmoro l. 1. p. 2. Tab. 2. p. 39. & Tab. 3. p. 41. nuper delineatorum, fide dubitantes, nec tamen toti, moniti sc. à laud. Dan. Senner. l. 3. Med. Pr. p. 3 c. 1. §. penult. acquievi- mus, postquam etiam Patavī Anno c. 1540 XLIII. D. X. Martii, in Cane inter acuta diaphragmatis principia canalem, lacteum ad thoracem concidentem notavimus & ab Excellentissimo Joanne Veslingio Anatom. Patavino Chiragogo nostro per literas Mens. Maj. c. 1540 XLIX. se sub Pancreate, quā portam jecoris suspicit, plexum Venarum lactearum communem pollicis crassitatem & quantem vidisse, licet incisus stylos non admitteret, ab eoq; tūm ad jecur per latera Venæ portæ arteriæq; cæliacæ dextra, tūm ultra portas sursum insigne ramos exporretos, ut ad Thymum cordis & in lactantibus per latera diaphragmatis ad mamma chyli portio distribuatur, accepimus.

X X V I.

Nuper verò via illa ad Epar cunctis ferè receptissima ab Anatomicis peritissimis *Joan Pecquetio*, *Joan. Hornio*, *Thoma Bartholino*, *Francisco Glissonio*, *Olao Rudbeccio &c.* postquam chylum ex centro Mesenterii per modo insinuatum canalem, vertebris dorsi juxta Aortæ sinistrum latus adjacentem, sursum contendere, inq; venas axillares semel atq; iterum irruere viderunt, planè repudiari, lymphæque sive humiditati aqueæ, ad centrum Mesenterii ex Epate refluenti, vinculoq; vasa isthæc intercepta Epar versus promte replenti, destinare cœpit, tantâ quidem cum indignatione, ut nonnulli *Epati* exitium minati fuerint, jamq; exequias paraverint, non sine justo bonorum meritis ejus classissimis faventium dolore.

X X V I I.

Quorum Excellentissimorum Virorum experimenta licet minimè suspecta habeamus, qui Anno c^{lo} I^o C LVI. Mens. Febr. in *Lupo* vivo attonito dissecto, ut & initio Novembr. in *Vulpeculâ* apertâ, pauloq; post in *Lynce fæmina*, ejusmodi canalem ex interstitio renum juxta aortam ad jugulum usq; assurgentem, proq; variâ compressione juguli aut receptaculi modò sanguinem chylosum, modò chylum sanguineum exhibentem, in THEATRO NOSTRO demonstravimus, eundemq; nuperrimè in *cane* & *ove* simplicem, sed chylo turgidulum, ad amplitudinem calami scriptorii ferè accedentem, auditoribus nostris exhibuimus, talesq; ductum jam dudum à *Bartholom. Eustachio l. de Vena sine pari antigrammare. 13. p. 301.* in Equis candidum observatum, novimus: de veritate tamen inde deductæ hypotheseos, *Epar ab officio removentis*, cō magis dubitandum censemus, quò minus sibi ipsis isti auctores in explicatione vasorum Mesenterii consentiunt, aut istor. ductuum sub Epatis cavo

B 2

ob-

obviorum succum à chylo, assumtorum naturam mitante, adeòq; vario nec semper lacteo, alienum esse aut sanguinē chylosum per omnes pariter arterias citra omnem selectum rapido motu non propelli aut veluti in aquagiis non protrudi quaquaversum, aut Venæ portæ propagines ex intestinis planè nihil elaborandum suscipere, probabile reddiderunt.

XXVII.

Quin etiam collectionem infirmam existimamus, chylus ab intestinorum cavitate expressus omnis per Mesenterium ad receptaculum, inde quod ad jugulum properat, neque in Vene portæ ramulos à Venis Lacteis immediatè effunditur; Ergo Epar non sanguificat, sive ejus in sanguinem conficiendum nulla vis est. Dum enim lacteus ille ciborum succus sive chylus cum refluco Venar jugulari & subclaviarū sanguine ad ostiū cordis confluit, cordique; oblatu celerem propter transitū elaborationem in thorace non expectat, sed ex castello ejus ad omnes partes per arterias protrusus dispergitur spatio unius alteriusve horæ, usq; quò duraduratio duraverit; adeoque; etiam Epati magna portio tanam ex cœliacæ ramo dextro, quām arteriis Mesentericis per Venam portæ refluens, conficienda offertur, non potest non sanguine abundans Epar activitate flammæ vitalis, suæ partium dispositioni appropriatâ, illam ex radicibus venæ portæ in ramos venæ cavæ lento gradu tendentem exactissimè elaborare, inflammabilemmq; præstare, purgatammq; à biliosis aliisque; sordibus cordi denudò corpori dispensandam exhibere, nisi quis velit istarum arteriarum per Venam portæ ad Epar refluente sanguinem chylo vacuum atque deterioris, quām reliqua massa, quæ nec ipsa tamen ullibi purgata est, cùm vena cava Epati nihil offerat, conditionis temerè statuere.

XXIX.

X X I X.

Quod si hoc à veritate alienum non esset *sanguinem*
scilicet sincerum & chylo vacuum Epati offerri, obstaculum
 chyli & sanguinis ad Epar tendentis consociationem im-
 pediens, ex ordine partium vel naturâ sanguinis ipsius ob-
 jiciendum foret; Neutrum tamē adest. Sed & solius Venæ
 portæ sanguis vitiosas portiones in Epate secernendas si
 colligeret & contineret, reliquus autem Venæ cavæ & Arte-
 riæ magnæ sanguis optimus haberetur, necessariò statu-
 endum foret, *venas Mesaraicas portionem chyli impuram ex*
intestinis suscipere, adeoq; non omnem ad Cor ferri, uti di-
cum: Quin etiam bilem, naturaliter in Epate obviam, ex-
tra Epar nasci vel partium abdominis vel assumtorum vel ip-
sius sanguinis aut venæ portæ culpa. Non primum, quia ple-
ræq; frigidiores sunt & ex sanguis nec sanguini longam,
moram, bili producendæ commodam, neantunt. Non,
secundum, quia & biliosa assumta in chylum convertuntur
& assumtorum succi cordi & toti corpori offeruntur, ex il-
lorum hypothesi: Nam si pars Epati per vasā lactea sive
Mesaraica objiceretur mox iterum secernenda, aut vanus
esset naturæ labor, aut portio chyli biliosa sive inutilis, suo-
pte impetu & sponte suā irrueret in Venas Mesaraicas, cum
ratione aliquā à laudabili venarum lactearū secedens, quæ
absonta sunt. Non tertium, quia si calor contentorum in va-
sis sanguificans pabulū suum in bilem combureret, adeoq;
quotidiana chyli accessio, seriq; præsentia illud pericu-
lū non anteverterent, illa atrorubesceret, non v. flavesce-
ret, ejusq; sulphuris major copia in Aortâ & Venæ Cavæ ca-
paciорibus propaginibꝫ occurreret, quam in Venæ portæ &
vel renum facili labore sequestranda, vel partiū extremarū
labore absumenda, vel à cerebro absorbenda esset, vel cum
ratione quādam per multas ambages, sine incomodo tot-

B 3

par-

partium abdominis sensu exquisitissimo præditarum, ad
Epar tantum confluere, quæ itidem Naturæ prudentiæ &
vasorum dispensationi, fervori bili, motuiq; sanguinis
ordinario repugnant.

X X X.

Ut vel hinc clarissimè elucescat *aut nullam* corporis par-
tem propriè sanguificare, cum omnium adeoq; & ipsius
cordis vis à calore sanguinis vitali, ætate paulò majori, de-
pendeat, sed sanguinem flammæ suæ activitate sibi ipsi in
vasis jugularibus chylum variâ fermentatione præparatum
associando, assimilandoq; sufficere, cuius rei argumenta
ex scorbuticorum sanguine, mulierumq; lacte sanguineo
ex 5. aphor. 40. habentius, adeoq; nec Venosum genus pri-
mum & per se generationis sanguinisive *αιματονήσεως* In-
strumentum esse, quod tamen *Jacobus Schegkius Medicus &*
Philosophus insignis olim peculiari libro contra Galenum
Epatifaventem & *Aristotelem* Cordi patrocinantem pro-
bare conatus est; aut omnes præsertim verò viscera, eaque
inter præcipue *Epar* in istius operis integritatem, sanguini-
nisq; inflammabilitatem, igniculorumq; vitalitatis excita-
tionem certâ ratione indesinenter conspirare. Nullum
enim perfectum & magnum opus repente, unâq; aggressione fle-
ri, totamq; suam expolitionem ab uno naturali instrumento ac-
quirere potest, *ex Gal. l. 6. de placit. Hipp. & Plat. c. 10. &c.*

X X X I.

Nam & in SUPREMO VENTRE, uti de Thorace sive medio
ventre modo dictum, sanguis ad perfectionem suam prope-
rat scilicet ex arteriarum carotidum propaginibus per fun-
gosam cerebri substantiam ad sinus meningum continuè
pergens, antequam per jugulares internas ad pectus descen-
dat, dum non tantum ad tranquillitatem facultatis rectri-
cis, conflagratione flammæ cohibitâ attemperatur, sed &

in

in medio itinere tepeſcentes & chyloſæ ipſius portiones³
purpurâ ſanguineâ nondum imbutæ ad spinalem medul-
lam & ventriculos colligendæ pro ſpirituum animali-
um materiâ & narium fauциumq; humectatione, copioſio-
res quidem primâ distributionis chyli horâ cum propen-
ſione in ſomnum, quām reliquias absorbentur.

XXXII.

Pari ratione & in Imi VENTRIS ſive *abdominis* viſceri-
bus ſanguificationis opus perennat. Dum enim ſanguis
tām recenti chylo perfusus, quām repetitā circulatione ru-
tileſcens ſinceriorq; redditus ex tortuosā arteriā per *Lienis*
ſpongiam ad venam ſplenicaſ dispersus properat, non
ſolūm vi caloris ipſi appropriati ulterius incaleſcit, *ut theſi*
28. de Epate quoq; explicatum eſt; ſed & pro faciliori ſequē-
ſtratione portionum inutilium, tām per candidum pan-
creatis quām felleum Epatis ductum ad duodenum aman-
dinarum, quiescendo effervescit, ut & calidior & purior
cordi diſtribuendus offeratur. *Renes* verò fibroſo poti-
ū carnis contextu, quām papillaribus ſuiscarunculis, e-
mulgendo ſanguinis ab *arteriis* emulgentibus ad *venas* e-
mulgentes tranſeuntis ſecernendum ſerum, flammæ vim
in ſanguine, hujusq; motum promovent ac vegetiorem,
reddunt. *Genitalia ipsa*, quod ſpadones teſtantur, & *ante-
rum maternum* vappelcentem quaſi & flammæ suffocatio-
nem minantem portionem ſtatis temporibus rejiciendo vel
in futuros uſus recondendo, paria facere manifestum eſt.

XXXIII.

Sic etiam *habitus corporis externus* ſpatioſo ambitu ven-
tilationem ſive transpirationem caloris juvat, non tām aē-
ris ambientis portiones recipiendo *uti Galeni mens olim fu-
it*; quām avolantes fuligines dimittendo, ſanguiniq; na-
turam ſuam vel in naſcēndis exprimendam communicat,
ne

ne quid summæ perfectioni desit, quemadmodū Naturæ operum optimum maximum Generatio & nœvorum expressio nos docent.

X X X I V.

Hinc sanguis licet non solùm pro inæquali partium imprimis internarum dispositione, sed & multiplici victus ratione sive rerum non naturalium Medicis dictarum usu, ut & aetatis, regionis, sexus, temperamenti, temporumq; anni multum variet, raròq; à chylo abludat, optimusq; habeatur, consistentiæ mediocris, rubicundus, inodorus, & modicâ seri quantitate dilutus, uti in athletis evexiâ gaudentibus; morbosus verò consistentiâ, colore, odore, aut sapore peccet, & in ignavis ad pituitæ naturam propriùs accedat; In gracilibus bilem æmuletur; in morosis ad Melancholiam degeneret; tamen flammæ suæ primigeniæ indolem potissimum refert, à Parentibus cum semine in liberos transuntis, morborumq; hæreditiorum characterem exprimentis, naturaliterq; se habens lactis instar è venis extrahitus butyrosam in summo, caseosam in imo portionem offert, quam utramq; serosa circumfluit.

X X X V.

Et quamvis in nonnullis ad naturam excrementitiortum humorum in excessu vel defectu peccantium feratur, atq; adulteretur, pro chyli inclinatione, vitæ usui nihilominus, ut ut ferè brevioris ac molestioris, commodus existit, inq; omnibus perfectioribus calidus est, dum vita superstes, ex motu perpetuo & per associationem caloris nativi sive flammæ vitalis adhærentiam. Propterea etiam ejus partes, non tamen instar adipis per veram cōgulationem in unum coëunt, sed in distincta loca sibi similes secedunt ac spiritibus calidis destitutæ, quorum intercursione ad animalis salutem simul confusæ omnes in corpore

pore servabantur, per ἐκθρόνωσιν densantur. Quin etiam rubet instar succorum per maturitatem à calore æstivo excoctorum in cerasis, moris, vacciniis, aliisq; fructibus &c: etiam si ex prædominio materiae terreus habeatur Arist. l.c.c. 2. part. animal. 3. & 3. histor. 19. &c.

XXXV I.

Tam generosis itaq; natalibus productus, tamq; variis in locis præparatus, tamq; sollicitè auctus, variarum actionum studiosissimus SANGUIS quâ ratione omnium partium salutem vicissim juvet ac tueatur, ipsarumq; actiones gubernet, ut porrò innoteat, statum corporis *naturalem*, non *naturalem* & *præternaturalem* examinabimus.

XXXV II.

IN NATURALI corporis statu, quando actiones familiares rectè exercentur per partium convenientiam sive harmoniam, partim individui conservationem sanguis, partim speciei propagationem molitur. Dum enim vitali flammâ in confluxu accensus ex corde veniens per partium poros perpetuò transit, non tantum calorem ipsis appro priat vivificantem, sed & ejusdem appropriati vi in ipsarum licet diversissimarum substantiam, tam secum allatum, novum chylum, quam spirituum animalium per nervos influentium copiam convertit, verèq; assimilat, robur corporis acquirendi gratiâ, in ætate crescentibus αὔδηφαγίαι propterea amantibus 1. Aph. 13. Hipp. quousq; scilicet blandus suus & partium calor fibrosas, aut chylosas nervorumq; lento succo impeditas portiones non dissipaverit, quemadmodū in consistentibus ac proiectioribus accidit, ubi potius insensibiliter avolando perit, & præ partium solidâ substaniâ cum comedendi necessitate absuntur, quam agglutinatur, sentiendi in membranis, movendiq; in musculis facultate nihil ominis semper superstite.

C

XXXIX.

X X X V I I.

Ita in THORACE motum pulmonum ac cordis suæ transvasationi & attemperationi necessarium perficit : Nam intra ventriculos & auriculas receptus ebullitionis impetu non modò illas cavitates replet , sed & inclusorum innervosis fibris crassi scutulis spirituum lentorum rarefactione , contractionem earundem molitur , ut è dextro per pulmones ad sinistrum ventriculum trajectus pro thoracis ampliatione respirandi usum urgeat ; Ex hoc verò sinistro ad cunctas corporis vivificandas partes properet.

X X X I X.

IN CAPITE sensorii communis sive cerebri , externorumq; organorum sive sensoriorum particularium omnium à spinalis medullæ Nervis dependentium , usum juvat , divinitatis haud expers ex Aristotel. 2. part. an. 10. tūm animalis spiritus sumministratione , tūm flammæ actuantis vicissitudine , uti ex sentiendi æqualem utriusq; proportionem poscente facultate , atq; movendi ex flammatæ animatæ copiâ spirituum , musculosis fibris inclusorum , rarefacientis , rarefactioneq; fibras distendendo abbreviantis virtute resultante , facile cujvis pateret.

X L.

Sic etiam IN ABDOMINE necessariorum admissionem & superfluorū eliminationem procurat , tūm famem ventriculi , fermenti acore , sitimq; , non melancholiâ à Liene eructatâ , excitando , assumtorumq; compagem naturalem , uti dictum , solvendo , tūm ejusdem ac intestinorum , aliarumq; membranacearum capsularum contractionem corroborando .

X L I.

Dum verò Natura rebus prosperis gaudens adversarum non secura in labore caduco generi substituendâ , funereq;

ñereq; inevitabili novo ortu pensando occupatur, sanguis majori copia AD GENITALIA delatus, non tantum facile turgescentes sive prompta effervescentia spiritu ascendo & spumescendo inflammabiles portiones ad futuros usus ejaculandas & ad uterus deducendas ibi eò facilius, quò transitus, in vasorum spermaticorum *παναθωτώσι* difficilior est, recondit, nervorumq; humiditati spermaticæ robur addit, sed & pro viribus imaginationis instinctuq; Naturæ planè mirabilem partium consensum voluptuosum movet, nè in necessariis uspiam defecisse videri possit, quæ in non necessariis nunquam abundare voluit.

X L I I.

IN NONNATURALI STATU, quando nimirum *vel* victus intemperantioris occasione *vel* morbi declinantis impetu, Natura sine manifestâ actionum læsione, non sine corporis laßitudine, languet, idemmet sanguis cùm humorum *nons naturalium* sive morbos, actiones manifestè lädentes, nondum producentium ad meliorem statum deductionem, cùm eorundem à sui naturâ planè alienorum secretionem & expulsionem, tám ad alvum, quàm vesicam & cutim, promovet & utrumq; opus feliciter absoluit, *quies & abstinentia morbis inimica* si maturè acceſſerit; aut si in tempore naturæ langventi, multiplicationemq; flammæ vitalis impeditè conanti tám ex fonte chirurgico, quàm pharmaceutico prudēs Medicus suppetias tulerit *sive* sanguinis missione, omnium humorum copiam imminuendo; *sive* fermentatione, sanguinem ab otiosis succis per alvum purgando *sive* attenuatione, per habitum corporis ac vesicam aquosas portiones expellendo.

X L I I I.

IN PRÆTERTURALI statu, quando nimirum flammæ sanguineæ vis pristinæ integritati suæ in tempore non restituta,

tuta, sed massa sanguinea individui tām per pravam vivendi rationem, quām partium afflictionem magis, magisq; adulterata fuerit, miscellam sive colluviem variorum humorum flammā vitali destitutorum ac veluti exlegum absq; rectore seditiosè tumultuantum nec amplius amicē coabitantum, repräsentando, tantum abest, ut actiones corporis porrò juvet, ut potius conditiones pabuli sui alieni sequens easdem difficillimis modis lædat, instar otiosorum sive excernendorum succorum qualitate & quantitate aliās incommodantium.

X L I V.

Nam simulatq; substantia sanguinis vitiatur, communis partium salus in discrimen vocatur, flammaq; ejus & motus naturalis sive circulatio turbatur adeò, ut non nunquam nec per animi vim se expedire, satisq; explicare queat, quemadmodum in deliquiis uidemus; haud rarò verò tota massa instar musti recentis aut cerevisiæ novellæ effervescente, universales totum corpus affigentes morbi, febres scilicet inde ortum trahant, pro majori vel minoriflammæ multiplicandæ per sanguinis sive purioris sive impurioris cōgelationem sive coagulationē impeditione aut fermēti febrilis cùm copiosioris, tūm paucioris dispositio-
ne, nūc continuæ aut intermittentes, nunc malignæ aut be-
nignæ.

X L V.

Sæpè verò *particulares* tantūm nascuntur, subsistente portione partem affectam in tumorem modò majorem, modò minorem sibi convenientem attollente, & exitum quærrente non sine plurimorum symptomatum afflictionem augmentum per tempora distinctā varietate. Dum enim primæ inimicæ portiones cum sanguine in principio affluent solæ alicubi subsistunt sanguine dimisso, inq; poros ulteriùs penetrant, *morbus* incipit, è succedentibus

aut.

aut reliquis *incrementum* sumit nunc tardius, nunc celerius, pro conditione humoris; tandem verò, ubi impedito simul sanguine flamma vires suas exerere cogitur contrà adversarium succum, Naturaq; cum morbo pugnare videtur dubio eventu, *status* habetur; cùm illam triumphantem, *declinatio* siue *solutio* maligravioris vel levioris principium, excipiat, triumphata mors sequatur.

X L V I.

Nimis autem longum foret per singulas partium lœsiōnes, lœsionumq; pro sanguinis crassioris, tenuiorisve, frigidioris, calidiorisq;, acidi austeri, amarive, lubrici asperiq;, tartarei, cinereivé, pinguis macrīve, aquosi, vinosi, lactei, mulsei, dulcis falsoive, tardioris concitatorisvē motus diversitate differentes species, ratione ætatis sex⁹, vi-
te generis, temporumq; anni variantes excurrere, licet mo-
rā longiorem trahendo pro calidis aut lentos comites pro
frigidis relinquendo ferè semper peccet; Operatamen est,
paucis tantum adducere, quâ ratione *morbis*, humorum,
noxiorum filiis, decantatissima trium classium *symptomata*,
ex necessitate Massæ sanguineæ sibi ordine succedant, ac-
cidentia scilicet isthæc extra cōstitutionem partium obvia,
ut *actiones lœsæ*, *retentorum excretorumq; vitia*, & *qualitates corporis mutatæ*.

X L V I I.

Actionum lœsio in morbis partium fit, quūm pro na-
tivo alienus cum sanguine calor ipsis appropriatur, cuius
virtutem dum imitari coguntur, non consueto quo ex na-
tivo fluebant modo, sed perverso operantur, ita ut inde
resultantes actiones interdum *depraventur*, sæpè *iminuan-*
tur, haud rarò *aboleantur*, nonnunquam etiam *augeantur*.

X L I I X.

Illam autem perversitatem partium imprimis publica-

C 3

rum

rem ex sanguine impuro ortam comitantur vitia tāc cum
retentione humorum per vias publicas à natura paratas ex-
cernendorum, quācūm cum eorundem retinendorum per vias
privatas inofficiosas excretionē conjuncta.

X L I X.

His utrīsq; *qualitates mutatae* dictæ , variæ quidem sed
externis sensibus facilè dijudicandæ , proximè succedunt,
cūm colores , sapores , odores , similesq; superficie corporis
affectiones uti naturaliter sanguinis , ita præternatura
liter humorum in vafis abundantium vel deficientium qua-
litates æmulentur.

L.

Quemadmodum autem mediante sanguinis motu
quasi per dissidium sanguinis & partium mala isthęc cor-
poris oriuntur ; Ita etiam ejusdem beneficio evanescunt,
scilicet partibus cumflammā sanguineā in pristinam grati-
am redeuntibus , materiāq; morbificā vel dissipatā sen-
simq; absuntā vel aliorum ad Emunctoria aut excretoria
loca translatā. *Dissipatur* sensimq; absuntur mediante
caloris subinde affluentis digestione , portiones extra-
fati sive subsistentis succi paulatim rarefaciente & exclu-
dente : *Aliorum vero transfertur* , quandò secundūm va-
forum ductum sanguini cor versus refluens tantisper assō-
ciatur , mox per Epar & Pancreas ad alvum , aut per pul-
mones , aut cerebrum , nares auresve , aut Renes & ves-
cam , aut Uterum hæmorrhoidesvē iterum rejicienda & e-
liminanda.

L I.

Medicus igitur videns subjecti sui ad sanitatis recuperatio-
nē Viteq; cōtinuationē ex sanguine peculiarem, ast commo-
dissimā propensionē, quam *Hipp. s. Epid. 6. comm. tx. I. Nati-*
ram morborum Medicatricem recte pronunciat , facile intelli-
git,

git, ejus liberè operantis spectatorem, imitatorem ac *Ministrum*; impeditè autem & coactè operantis *Magistrum* se constitutum esse, ut gemino suo officio, *conservandi* scilicet ea quæ secundùm naturam adsunt & *removendi* quæ prèter naturam occurrunt, satisfaciat.

L I I.

Illa etenim dūm secundâ fruimur valetudine humores & spiritus in partibus solidis optimo ordine & symmetria cōpositis per flammam sanguinēam ad vitam prudenterissimè disponit; Dum verò adversâ affligimur, illos alienatos ejusdem activitate à bonis separando & excernendo, morbum curat, mortemq; retardat, sæpeq; sola sufficit, ut totum negotium ipsi tutò committi possit,

L I I I.

Propterea conatus ejusdem Medico sedulò expendendi, ut liberos sinat, impeditos juvet, coactos sedet, inq; tempore indigenti auxilium porrigat, ne cum agendum quiescat, aut cum quiescendum agat, medendiq; animam occasionem perdat.

L I V:

Etsi verò judicium difficile sit, experimentum periculosum ex i. Hipp., aphor. tamen vix certiori, convenientiori, modo flammæ vitalis sive naturæ operantis vires & conatus explorantur, quam ex Pulsu sive impetu sanguinis ex corde coarctato, per arterias plenas ad partes trānseuntes, passim observabili, cùm motus diastroles arteriarum respondeat motui systoles cordis, abundantiam vel paupertatem flammæ vitalis sanguineæ cum salutis ac mortis præfigio denotantis; Ut & URINA, sive portione vehiculi sive serosi humoris, comitis individui, conflagrationem sanguinis prohibentis, ex renibus quidem per Ureteres ad vesicam collectâ, totius tamen Massæ sanguinæ variam,

con-

conditionem repræsentante, ut ex doctrinâ de pulsu & urinarum differentiis manifestum est.

L V.

Quibus actionum tām publicarum quām privatuarum diversitas plures, paucioresvē utiles in sanguine portiones arguens, mentisq; constantia *ex 2. aph. 33:* diversam flammæ sanguineæ appropriatæ constitutionem, quasi concavam designans, si jungentur, non minus de partibus affectis, quām virium sive flammæ vitalis robore, tām deficiente quām augescente rectum feretur judicium, prædictioq; certior erit.

L V I.

Hinc ad morborum, præprimis internorum proflagationem SANGUINIS ceu causæ communis MUTATIONE MEDICA opus esse, curationemq; à præsidiis Universalibus semper auspicandam, generosaq; duo remedia nunquām ferè non eximiam ad sanitatis recuperationem operam præstare, clarum est, non refragante experientia, *sanguinis* scilicet *missionem & purgationem*. Illa nimiam partium vasorumq; repletionem tollendo, flammæq; ventilacionem & multiplicationem, dum expeditiorem sanguini motum reddit, juvando in *Plethoricis* præcipue locum habet,flammamq; imprimis afficere videtur: Hæc verò in *Cachymicis* sive vitiosorum humorum apparatu oppressis, mediante fermentatione in angustiis viscerum separationem eorundem à sanguine promovet, hâcq; ratione substantiam sanguinis puriorem, vitæq; usui commodiorem efficit.

L V I I.

Utraq; variis modis tentatur. Et *sanguinis missio* quidem rarò arteriarum, sæpiissimè Venarum, earumq; nunc majorum nunc minorum sectione, scarificatione idem, hirudinumq; applicatione perficitur; ex quibus tamen præsidiis

sidiis nunc quæ paulatim, nunc quæ confertim evacuant, insuper habito partium cum venis consensueligimus, subiectæ mutationis excitandæ vel vitandæ gratia, quamvis si non cum valetudinis, certè longævitatis detimento ferè omnis jactura sanguinis conjuncta sit, *mox ab initio uti dicatum.*

L V I I I.

Purgatio verò commodissimè per alvum, corporis sentinam, haud raro etiam per vomitum, confluentibus scilicet utrinq; ex hypochondriorum visceribus secundum fellei & pancreatici canalis ductum ad intestinum duodecimum, pyloro continuū, succis à sanguine jam sequestratis, instituitur usu pharmacorum pro usus necessitate sive sanguinis impuri contumaciâ lenientium aut vehementium, tam per os assumendorum, quam per inferiorem gutturem injiciendorū, cùm sanguis ubiq; se fermentantem vim suscipere, ad loca tamen impedita tantum sibi junctos successos deponere possit, *uti in disp. de purgationis modo ac viis ad alvum probavimus.* Hinc Helleborus albus suppositus eadem symptomata quoq; inducit ac assumtus ex *Adr. Spigel. obs. l. 6. de H. C. fab. c. 4.*

L I X.

Quibus cum generosis præsidiis SUDORIS provocatio in morbis præcipue malignis ac pestilentibus, lentam massam in *Venis, arteriis, Nervis, & Vasibus lymphaticis* cum suffocationis caloris periculo ebullientem incidendo, attenuando, rarefaciendoq; tum flammæ multiplicationem ac diaphorifin sive avolantium portionum dimissionem libriorem reddendo, prayasq; peccantium humorum ac furiosas portiones in minimas particulas invalidas, ad poros cutaneos distrahendo, adeoq; omnem sanguinem mutando, cùm paria faciat, ab eorū cōsortio minime excludenda,

D

quin

qui n potius illis anteferenda , si absq; vitiosorum humo-
rum apparatu insigni vi contagii externi, per *congelationem*
aut conflagrationem efficacissimi, morbus natus fuerit.

L X.

Pariterq; patet, hæc quidem præsidia ad sanguinis re-
dintegritatem cum valetudinis restitutio conjuncta,
magni momenti, magnaq; utilitatis esse, nullum tamen
eorum semper & ubiq; simpliciter necessarium haberi,
cum nunquam à morbis indicentur ceu materiæ præsidio-
rum. Elucescit & hoc, eos in errore magno versari, qui
omnium morborum curationem à *sanguinis missione*, cùm
sæpè deficiat, aut *purgatione ebullitionem humorum auger-*
te, auspicantur, atq; sicubi utroq; auxilio opus est, Purgati-
onem Sanguinis missioni præmittunt, cùm in utriusq; ordi-
nem consuetudinis nè minima quidem vis esse possit.

L X I.

Præservationis tamen gratiâ in corporibus robustior-
ibus, pleno vietu gaudentibus, bona sua non sine ratione
suspecta habentibus à sanguinis missione frequentius,
quam à purgatione aut sudore, nisi individualis proprietas
obstiterit, initium faciendū est, nè ex fumo in ignem præci-
pitentur, agitatâq; per pharmacum fermentans massâ san-
guineâ flamma suffocationis, viscera verò pernitiosæ re-
pletionis pericula incurvant . sic quoq; procedendum ubi
utroq; præsidio, adeoq; purgatione simul opus fuerit,
uti ob intemperantiam vietus haud raro contingit.

L X I I.

Ita enim, eâ scilicet præmissâ, purgantibus aliisq; re-
mediis corpus opportunum redditur, viribusq; medicamē-
tosis locus datur, evacuandisq; succis viæ fluxiles expeditæq;
parantur, faciliorq; fermentatio absq; insigni sanguinis
agi-

agitatione oritur, feliciusq; procedit, lenientiumq; moderata vi s^espē efficitur, quod validâ vehementiorum catharticorum non potuit.

L X I I I.

Imò quod maximum est, non solum Natura totius corporis, animiq; si principum Medicorum *ex supra. cit. lib. de flatib. Hippocrati adscripto atq; Aristotel. 2. de part. animal. 4. &c.* placitis standū ex sanguine nobis innotescere potest, sicut ab initio innuimus, cùm videamus bilioso sanguine præditos alacriori ingenio, pituitosos simplices & ignavos; judicii autem præcipitantiâ Melancholicos superrare constantes; sanguineos verò in inveniendo, judicandoq; mediocres esse; sed & agendorum pro confirmandâ valetudine certa non conjecturalis, minimeq; fallax ratio, dum aliis præ alio majorē adulterationem sive corruptiō nem tām colore, odore, sapore, quām consistentiâ & pondere præ se ferre solet, futurorum morborum prænunciā, adeoq; aliam atq; aliam præparationem ac purgatiō nem, viscerumq; collaborantium roboratione renovatiō nem postulat.

L X I V.

Quamvis atitem de hujusmodi sanguinis mortui sive *θρόμος* differentiis, indeq; hauriendis signis & indicatiō nibus vix quicquam solidi aut per experientiam rerum Magistrum probati ab auctoribus Medicis, fortassis ob terrificam & abstrusam ejus naturam, quæ moderatos animos facile latere, argutos exercere & curiosis illudere solet, nobis proditum sit, non abs retamen fuerit, si pro defectu isto cōplendo *Joannis Fernel. l. 2. M. M. c. 17. notatis & à Joanne Carvino in suo de sanguine dialogo. 7. ut & Samuele Hafenreffer in sui Raphaëlis sect. 1. c. 4. transcriptis, itemq; Joannis Jesenii de sanguine Venâ secta dimisso judicio* & hic quædam ad-

D 2

jece-

fecerimus, qui ignavarum apum more aliena duntaxat al-
vearia expilare, lineâq; eâdem oberrare haftenus erubui-
mus, publicæq; utilitatis juvandæ causâ veritatem nunquâ
dissimulavimus. Quô studio si plures olim usi fuissent, ho-
dieq; uterentur, major hæreditas ad nos pervenisset, pos-
setq; etiamnum vel ad invidiam posteriorum seculum no-
strum Medicum efflorescere.

L X V.

Ut igitur certa quædam expeditaq; ratio habeatur,
non modò è venâ sectâ initio venientis, postremoq; efflu-
entis sanguinis, propterea vitreis pellucidis potius quam
stanneis aut æneis vasculis sive unciis, iisq; mundis seor-
sim excipiendi, impetus & color Medico præsenti obser-
vandus cum tollerantiâ ægri, ut quô impurior fluxerit, eò
parcius mittatur; sed & ejusdem effusi, locoq; conveni-
enti concrescentis, concretiq; substantia examinanda,
cum sæpè floridus se recens ostendat, mox pereunte flam-
mâ vitali pristinum colorem planè amittat; quamvis rectè
se habens semper rubore suo in æquabili substantiâ splen-
deat, torpescésq; venæ sectione eductus, pingues roscidasq;
portiones in summo natantes, aliasq; ejusdem generis mi-
nus viscidas in fundo exhibeat, quas serosæ sive potulentæ
circumfluunt, ut supra allatum.

L X V I.

Impetus itaq; si æqualis fuerit, ita ut sanguis ad venam
majorem vinculo constrictam è minoribus ramis recur-
rens alacriter, veluti è siphuncula expressus, erumpat,
præter seri diluentis copiam, plagam venæ sectæ sat lar-
gam, animi quoq; præsentiam flammæq; vigorem, insi-
gnemq; vasorum repletionem indicat. Si inæqualis ex
vulnusculo recto & quasi subsiliens, præter seri copiam,
& flatulentiam quam Joann. Schenck lib. 3. observat. ex

Jon.

Joubert. fol. 459. effert, celerē ex arteriis in venas transitum, continuatumq; quasi pulsum, adeoq; usum cordis auctum potius monstrat, quam arteriæ venam pulsantis impetum, imperitoribus formidolosum. Si verò minor fuerit sanguinis impetus & quasi nullus post justam vulnerationem, lento ejus, crassitiesq; aut *athymia* patientis in culpa erit, sanguinem ad cor colligens, ægreq; inde ad partes diffundens.

L X V I I.

Dein tollerantia sanguinem mittentis in facie & pulsus mutatione observanda, legitimam vasorum inanitionem comitans, *ex i. Aph. 2.* In constantibus enim vultus sibi similis relinquitur, sensusq; non interturbantur. In defecturis verò labiorum pallor, oscitatio, oculorum citrina suffusio, aurium susurrus, vires collapsuras arguunt. Ecce quamvis nonnulli omnem ferè sanguinis mentionem expavescant, quidam conspecto phlebotomo mox exanimentur, ferè omnes subitam primæ evacuationis sanguinis mutationem cum animi deliquio experiantur, tamen si necessitas venæ majoris sectionem sive subitam inanitionem, non qualemcunq; sanguinis imminutionem postulaverit, nec ante ipsius administrationem cordialia exhibita, animusq; ab adstantibus additus suffecerint, instituenda est mente oculisq; aliorum conversis, corporeq; in dorsum resupinato per interceptionem brevium intervalorum partienda. Ita enim in summâ partium quiete & adscendentis venæ cavæ & descendenter trunci, adeoq; omnium venarum sanguis facile ad cor approparet, ejusq; subtractionem animus, in confluxu copioso non advertit.

L X I I X.

De colore ita habendum. Si concolor in effluxu suo apparuerit, sive nigricantior sive floridior, reliquam to-

D 3

tius

tius corporis massam ita quoq; se habere , magis credibile est , quām naturam vitiosas portiones ad artus projecisse , etiam si hoc Clarissimo Sennertol z. de febb. c. 5. aliisq; Practicis placuerit. Si discolor fuerit & quidem ater sanguis floridiorem præcesserit , illius venę sanguini effuso arteriosum recentem jam succedere indicat , minimè vero perfectam testatur vitiositatis exinanitionem. An autem floridiorem nigricantior , purumq; impurior subsequi possit , non tantum dubitamus , sed etiam ejusmodi dissimilitudinem ex hypochondriorum visceribus aut inflammationibus internis proficiisci posse , negamus.

L X I X.

Atq; hæc in sanguine exeunte notanda , qui ad contactum fervens , caloris ex præcordiorum & viscerum æstu vehementiam ; tepens verò ejus paupertatem arguit. Idem celerius in loco temperato concrescens , vividum rutilumq; colorem amittendo , corruptionem scorbuticam portendit ; servato verò florido colore , abundantiam fibrarum aut pituitæ , absentiamq; seri diluentis demonstrat , obstructionumq; variarum , attenuantium usū solvendarum , auctor existimandus est. Si verò tardius aut nunquam , post refrigerationem scilicet , cuiusmodi sanguinem Cervorum , Damartum aliorumq; Aristotel. 3. hist. an. 6. & 2. part. anim. 4. statuit , aquæ copiam , spirituum animalium serescientiam fibrarumq; defectum ac corruptionem , sæpè malignam denotat ex Adr. Spigel. l. 5. d. H. C. fabr. c. 13. & Joān. Domin. Salæ prælect. M:SS: in 1. Fen Avicenne , extictionemq; flammæ vitalis , sudoriferorum potius , viscerumq; tonum corroborantium , quām purgantium usū amoliendam , minatur.

L X X.

Post concretionem verò non tantum prima , media , po-

postremaq; portiones, quoad colorem, odorem, saporem, consistentiam ac pondus, seorsim considerandæ, si *inæquabiles* fuerint, quemadmodum etiam in Cucurbitularum sive scarificatione extracto sanguine fieri deberet, nisi negligentiores essent pleriq; ; neq; enim uti docet Gothofred. *Sthegius de extracto sanguine lib. I. Art. Med. c. 12. p. II.* semper videmus succum Melancholicum subsidere, innatare bilosum sed sero temperatum, pituitam lentam albicantemq; sanguini quarto humoris coherere, sed etiam earundem ferum separatum observandum, cum hoc sanguinis comes individuus sit; spirituumq; animalium sive humiditatis cerebri non exiguum portionem possideat, licet ex vasis Lymphaticis in venæ sectione non semper seorsim effluere videatur uti *Thom. Bartholinus volv. c. 7. de ipsorum usu.* Aliquando tamen Illustr. Comiti de Solms ita accidisse potuit errore Chirurgi, loco enim sanguinis lympham copiosam & puram effluxisse post frequentem ingurgitationem cerevisiæ albæ, ex ore ipsius ante hosce duodecim annos accepimus.

L X X I.

Si verò *æquabiles* inter se fuerint concreti sanguinis portiones, communem reliquæ massæ constitutionem variis modis corrigendam haud vanè significantes, etiamsi postrema laudabilior interdum apparuerit prioribus; tunc primum *superficies* contemplandā, quæ *spumosa*, salientis impetum, flatulentamq; variorum humorum quos colore æmulatur, visciditatem refert, attenuantium temperatorum, tonumq; viscerum juvantium medicamentorum usum requirit. Nonnunquam veluti *lamina pinguis obducta* aut punctis oleosis prædita, colliquationem sanguinisq; ebullitionem fortē humorumq; confusionem diaphorisi auctâ coërcendam monstrat,

LXXII

L X X I I .

Eadem *suaverubens*, optimam sanguinis, corporisq; naturam felici viscerum coctioni, flammæq; vitalis integrati acceptam ferendam offert, minimè medicandam; *Citrina* verò *bilioſa* fervorem Epatis, cordisq; seu potius flammæ nimiam multiplicationem à lentore biliosorum assumtorum adauertam sequitur, ejusq; sufflaminationem meretur, ut *& lutea*, quam cum *Brassavol.* comm. in aph. 62. sect. 4. in Ictericò notavimus. *Marmoris* instar variegata insignem humorum confusionem, putredini obnoxiam, diaphoreticis potius quam catharticis cohibendam, testatur: *Pallida mucosa* crustam lacteam repræsentans, quam in *Ichtyophagis otiosis* obæsis ac lautius vicit antibus frequenter animadvertisit *Vir Clarissimus* Joh. Jacobus Wepferus in doctissimâ sua exercit. de L. aff. in apoplex. p. 207. quaq; albumini ovi aut gelatinæ ex C. C. paratæ respondere tradit *Harv.* de gener. animal. exercit. 52. p. 214. primæ secundæq; coctionis imperfectionem sive chylosam cruditatem debili fervori partim, partim copiæ ac crassitie assumtorum non sanguinis putredini adscribendam, pepticisq; juvandam signat, authore *Riolano* comm. advers. V. Lact. pag. 110. & in resolut. dubiorum Anatomicorum Bartholini pag. 81. Hinc nonnullis sanguis lacteus extractus fuit, cujusmodi post jenaculū horâ distributionis chyli extractum non ita pridem hic vidimus; de quibus *Schenck.* l. 3. observat. Medic. de Venis & sanguine fol. 459. & Barthol. de lacteis thoracicis p. m. 38. *Saniosa* autem cinerea livescens cruditatem malignam, ex impeditâ spirituascentiâ, pravoq; vietu natam, antiscorbuticis, sale volatili abundantibus, tollendam exhibit *Senn.* l. 3. pract. p. 5. sect. 2. c. 3. fol. 699. Sic etiam *viridis* veneni occulti indicium *Cardano* l. 1. de Venen. c. 26. & ad cœruleum vergens contumaciam variorum humorum, flammæq; finir-

infirmitatem commonistrat, capit isq; sàpè laterumq; dolores, attenuantium, diaphoreticorum usu mature solvendos, excitat.

L X X I I I.

Atq; hæ coloratæ *superficie i* diversitates eò majorem vel minorem salubritatem promittere solent, quò crassiores, tenuioresvè sunt, sive majorem, minoremvè massæ concretæ quantitatem constituunt, cuius ut & *reliquæ massæ cognoscendæ gratia* porrò *parenchyma* illud rudicula vel stylo dividendum est, quod *tenax ac renitens*, *graviusq;*, lento-rem pituitæ terrestris incidendæ arguit; *promte obediens ac mitius*, *leviusq;*, fibrosam aëreamq; præ se fert medicritatem; ad contactum verò vel projectum frustulatim, *dissiliens* fibrarum lentar. destructionem & corruptionem, impeditamq; sanguinis & spirituum animalium confociationem, per convulsionum vehementiam in febribus continua ferè lethalem notat, sanguineumq; sudorem & exanthematum efflorescentiam portendit. Quòdenim fibræ copiosiores, quibus mediantibus sanguis concrescere solet & grumescere, eò substantia salubrior & felicior nutritio speranda.

L X X I V.

Hæ fibræ, ut paucis hoc addamus, quamvis ex *Joannis Fernel. lib. 6. Medic. c. 7.* sententiâ, opus credantur primæ concoctionis ventriculi, nervosam suam substantiam chylo, futuro sanguini, quadanterus impertientis, tamen cum virtute fermenti compagem afflumtorum solventis, adeoq; fermentatione illa digestio absolvatur, *ut supra dictum*, fibrosa hujusmodi communicatio vix locum inventiet. Videntur autem nihil aliud esse, quam portiones quædam spirituum animalium chylosorum viscidorumq; ex Cerebro per nervos & Vasa lymphatica sanguini in-

E 2

con-

confluxu ad Cor redditorum; nam & locum in disgrega-
tione sanguinis extravasati supremum petunt & glutinis
instar reliquas sanguinis partes ad concretionem invitant,

L X X V.

Ita autem sanguini confusæ sunt & perturbatae fibræ
ut sensus in calido etiamnum sanguine easdē percipere aut
dignoscere nequeat. Quas verò crebrâ agitatione bacillo
manuvé concussus, dum refrixerit, quomodo suillum & an-
serinum vulgò præparare atq; à concretionis vi vindicare
solent, sanguis exhibit fibras spumeas, ejusmodi naturali-
ter in ipso actu adesse aut cum ipso per corpus circumferri
negamus. Jis autem villis extractis sanguis non concrescit,
uticum experientia testatur Arist. *meteolog. c. 7.*

L X X V I.

Plerumq; autem reliqua sub superficie sanguinis por-
tio peculiarem exhibit constitutionem, adeoq; seorsim
expendendam. Æquabilis enim *rubicunda*, optimam
confitetur naturam; *ni ricans obscura*, combustionem as-
fationemq; humorum; *flavescens lutea ac splendens*, bilis
exsuperantium; *variegata ebullitionem ac confusionem*;
pallida lactescens & livida, caloris nativi defectum, chyliq;
repugnantiam ferè scorbuticam; *arenosa & granosa calculos*
sam potius dispositionem, eamq; cunctis partibus commu-
nem, non renibus propriam, uti ex *Schenckio l. c. fol. 457.*
constat; quām Elephantiasin connotat: Attamen *polli-*
nem cruoris nigricantem, subsidentem & receptaculi fun-
do adhærentem, ardorem obstructorum viscerum comi-
tari, scabiosisq; familiarem atq; aperiendo refrigeranti-
um sive Cichoraceorum usu esse corrigendam, novimus.
Tantùm de cruento sive sanguinis concreti massâ, quæ quo
celeriùs corruptione recrudescit ac veluti per colliquatio-

nem

nem in pristinam seu serosam substantiam resolvitur, eò majorem præ se fert insalubritatem, flammæ vitalis multiplicationi & continuationi parum commodam.

L X X V I I.

Supereft SERUM seorsim, urinæ instar, cui colore & consistentia, fortè etiam salsedine, sæpè respondet, fibrosæ mucaginis sive gelatinæ hanc expers, in vitro pellucido considerandum *uti theſ. 70. dictum*, quod licet mediocritatem sanguinis quotidiano vietu variet, ejus tamen proportionis tenax est. Unde pro quantitate crux oris *abundans*, largam potationem fuliginum ac sudoris, urinæq; suppressionem commonstrat, aqueosq; partibus tumores chatarcticis, diureticisq; ac sudoriferis expugnandos, minatur, *Deficiens*, seq; à sanguine non separans, substantiæ visciditatem otiosam, sudoris copiosi aut urinæ exclusionem *ex Guilb: Harveij de generat. exercitat. 52. p. 215.* aut in partibus fungosis, imprimis cerebro detentionem, non sine catarrhi, apoplexiæ ac paralyseos periculo, apophlegmatismis, errhiniq; post purgationem revertendo significat.

L X X V I I I.

Idemmet varios colores sanguinis æmulatur. Naturaliter enim Urinæ instar, ex rubore sanguinis flavescens, integritatem ejus firmamq; valetudinem spondet. In cachecticis pallore pituitam atq; scorbuticam cruditatem *ex Senn. lib. 6. pract. part. 5. c. 3. fol. 542.* croceo vero colore bilis; livore Melancholiæ exustæ testatur affluentiam, jam præmissis modis corrigendam.

L X X I X.

Tandem utriusq; constitutionem, sanguinis sive crux ipsius & seri confirmabunt odor & sapor. Ut enim sanguis alimentitius inodorus (bonus enim ejus odor est nul-

.PV.

Ius odorū, quamprimum autem aliquem acquisivit, jam
alienus est à Naturali constitutione, ex Caspari Hoffmanni
Antecessoris olim nostri *Tract. de humor. c. 18.*) medicamen-
torum tām assumtorum quām inunctorum qualitates ex
primere potest it se facilē receptas, partibus communican-
das, quemadmodum boum Indianorum cassiā nutritorum
carnes purgandi vim obtinent, ex Stephani Roderici Ca-
strensis L. 4. Quæ ex quibus. & serum Urinæ ex usu Terebin-
thinæ violacei odoris redditur Senn. Inst. lib. 3. p. 1. f. 3. c. 7.
Ita graveolentia, deploratæ corruptionis filia, licet rara,
certā mortem ex Obs. Foresti 17. l. 1. de febb. in scholiis porten-
dit, non sine contagii suspicione.

L X X X.

Sic etiam sapor ipsius à sanguinem mitrente si lubet
non Medico, degustandi, consulendus est. Nam natura-
lis dulci falsedine, biliosus, amara præditus est; Melan-
cholicus verò sanguis acidus, ponticus, mordax, falsugi-
nosus, nitrosus; ast pituitosus planè insipidus habetur, ceu
vitalis ignis vim nondum satis expertus.

L X X X I.


Quæ examinatio in cunctis sanguinis missionibus lo-
cum habere potest, et si primam inter, postremamq; porti-
onem seorsim colligendam, media haud raro in aquam
calidam, ut ē Vena salvatella, cephalicaq; utriusq; manus; item
saphena, cephalicaq; utriusq; pedis, effundatur, ubi præter-
rubedinem aquæ conciliatam clariorem vel obscuriorem,
naturaliter lucidum vitreumq; justæ proportionis muco-
rem ex fibris cohærentibus ima petentem, teste experien-
tia, Ferneijo loco cit. & Nathan. Highmor. l 2. p. 3. c. 4. pag.
194. exhibet; In p. n. statu verò sui abundantia infirmita-
tem caloris & copiam pituitæ, defectu autem fibrarum,

Nozobon (mīro zīnōd) anōdā i mīnēi absen-

absentiam, periculi plenam, innuit ex *Riol. comment. cit.*
adversus novum de Venis lacteis commentum.

LXXXIII.

Atq; hæc de grandi illo sanguinis mysteriocuratio-
num Medicarum certissimo fundamento dicta suf-
ficiant. Quâ in re uti summæ difficultatis, sic & usus exi-
mii, si rudimenta hæc nostra in **VERITATIS & SANITATIS**
studio felicioribus ingeniis inoitamento fuerint, quo ma-
jori vitalis ille succus imposterum reverentiâ colatur, fa-
cemq; aliquam prætulerint, operæ exanthlatæ nequaquam
nos pœnitabit. Si verò erroris nos convincent, ita age-
mus, ut boni intelligant, nos sententias nostras non habere
pro oraculis, sed didicisse eedere **MELIORA MONENTIBUS.**



COROLLARIA.

I.

Cum sanguinis motus perennis sit, eiq; transitus, quamvis
per minima Epatis vasa difficilis, pateat, è Venâ scil. Por-
tæ ad propagines Venæ Cavæ non tantum differentia inter
sanguinem Abdominis, quem pani οὐγκούσῳ nonnulli compa-
rant, quo famulitum vescitur, ceu inelaboratiorem, & sanguineum
Thoracis perfectiorem, quem cum pane similagineo confe-
runt, quo paterfamilias gaudet, nulla est, sed etiam exigua &
quasi momentanea tantum inter sanguinem Venosum & arte-
riosum.

II.

Copia sanguinis abundantiam caloris promittit ex 3. de part.
anim. Aristotel. c. 6. & non promittit.

III. Cris.

I I I.

Critice sanguinis profusiones vires minus prosternunt,
quām gattulae Symptomaticæ.

I V.

Flammam vitalem sanguineam Animi motus potentius affi-
ciunt, quām Corporis labores.

V.

Eadem quō minor fuerit in languentibus, eò celerius tam à me-
dicamentis valentioribus, quām copiosis alimentis extinguitur.
Proinde rebus sic stantibus contra Politicorum monita, au-
xilia potentiora nunquā in subsidium vocanda, uti sunt V. sectio,
Purgatio, ab iis enim ferè plus metuendum, quām ab illā valetu-
dinis peste.

V I.

Sanguis medicamentorum vires suscipiens facile Cephalia-
cus, Cordialis, Epaticus &c. fieri potest.

V I I.

In accessionibus febrium ab ebullitione sanguinis dependen-
tium quō Chylus spirituosior sive inflammabilior ex pleniori vi-
etu, eò insalubrior.

V I I I.

Si sanguis humanus recens picas garrulas reddit, uti fer-
tur, & asini ignavi sanguis exhibitus Maniacos refranare valet,
utii Practici tradunt, sanguis animosi juvenis calens Melancholi-
cis meticulois propinatus animum quoq; addere posset, Micro-
cosmum Medicum cum Joanne Hartmanno Chymico quon-
dam Marpurgensi si quis experiretur.

ΔΟΞΑ ΜΟΝΩ ΤΩ ΘΕΩ.